

capiendi et vendendi tantum de bonis dicti militis autoritate propria et sine magistratus decreto, quod sibi de premissis sorte et pena integre satisfiat, supponendo eundem, heredes et successores eiusdem et bona eorum iurisdictioni patriarche Ierosolimitani et officialis sui, per quos possent compelli ad observandum omnia et singula supradicta, renunciando exceptioni doli et in factum et sine causa, privilegio fori et aliis, exceptioni etiam non numerate pecunie et generaliter omni auxilio, quo posset contra premissa venire vel aliquatenus se iuvare. Et ad maiorem cautelam domus eiusdem tam predictus procurator militis supradicti ad instantiam et petitionem dicti syndici et procuratoris confitendo et recognoscendo in iure et in iudicio debitum memoratum, quoniam predictus procurator et syndicus dicte domus petiverunt ab eodem officiali unanimiter fieri mandatum seu preceptum eidem domino Symoni, procuratori dicti militis, pro parte et nomine militis supradicti de solvenda integre summa predicta eidem domino magistro et domui sue predictae aut eius locum tenenti in terminis supradictis. Qui officialis ad instantiam et petitionem utriusque mandatum sibi fecit et preceptum tanquam procuratori eiusdem militis confesso in iure de solvendo eidem domino magistro aut locum eius tenenti integre quantitatem eandem in supradictis terminis, ut est dictum. Quod mandatum seu preceptum idem procurator pro parte dicti militis acceptavit. Promisit etiam idem procurator se principaliter obligando per stipulationem sollempnem eidem procuratori et syndico dicte domus pro parte dicte domus legitime stipulanti sub pena dupli quantitatis eiusdem, quod idem miles acceptabit et ratificabit expresse omnia et singula supradicta infra spacium duorum mensium ab hodie per publicum instrumentum, in quo continetur tota forma instrumenti presentis, supponendo se proinde iurisdictioni officialis eiusdem, qua pena soluta vel non, omnia et singula supradicta in sua remaneant firmitate, renunciando in suis exceptioni doli, in factum et sine causa et generaliter omni iuris auxilio, quo posset contra premissa venire vel aliquatenus se iuvare. Actum est hoc Accon in domo episcopali, in loco scilicet, ubi iura redduntur. Anno domini a nativitate M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> LXXXVI<sup>o</sup>, indictione XV, die mercurii XVI<sup>a</sup> mensis Octobris. Pontificatus domini Honorii pape iiii<sup>o</sup> anno secundo, presentibus discretis viris dominis Michaeli thesaurario ecclesie Accon., Jacobo de la Colea milite, Scorio de Messana iurisperito, Petro Stornello clerico, Johanne dicto Barberio, Dye bacalarario, et me Bartholomeo notario curie supradicte publice testibus ad hoc vocatis et specialiter rogatis. Et predictus dominus Nicolaus archidiaconus huic instrumento ad instantiam predictorum procuratorum sigillum predictae curie, quo ad causas utitur, appendi fecit in testimonium premissorum. Acceptavit et ratificavit expresse ac omnia et singula supradicta per se, heredes et successores suos observare et adimplere promisit, ut superius est expressum, supponens nihilominus se, heredes et successores suos proinde iurisdictioni patriarche Ierosolimitani et officialis eius, ac super hiis omnibus et singulis renuntians exceptioni doli, in factum et sine causa et generaliter omni iuris